

non creationem, quam supponunt, saltem seductionem alicujus Angeli discamus, qui vulgo *Sathan & Diabolus* proprio, improprio nomine *Serpens & Draco* in sacris literis vocatur.

§. X. Certe nolumus actum agere, alias millena loca, de *Angelis* agentia, huc adscribere facile esset, consulantur tantum *Systemata*, *Bincbii Mellificium Theologicum*, *Marlorati Thesaurus*, & loca aderunt in promptu; Ex multis per compendium eligerem *Apoc. V, 11. & Dan. VII, 10. Psal. XCI, 11. 12. & XXXIV, 8.* reliqua loca, existentiam probantia, occasione reliquorum de iis dicendorum sequentur.

§. XI. Bonos æque ac malos ordinem habere non negamus: Sed qualis sit, ignoratur, Archangelus unicus tantum datur. *Pseudo Dionysii* ergo *Hierarchiam Angelorum*, ex Platone haustam, negamus & pernegamus, & *Librum Tobix* non pro *Historia*, sed *comœdia* habemus, ex qua nihil certi probari potest.

§. XII. Laudamus Judæos distinguentes inter Angelum *in-creatum* & Angelos *creatos*, five *separatos* (scil. ab essentia Dei,) & *inseparatos*.

§. XIII. Quando creati sint, *Script. Sacr.* nullibi ex professo docet; Susplicamur autem, eos *creatos* esse, quando *terra fundata* fuit, ex *Hiobi* capite XXXVIII, 4-7. Fundata est secundum plerosque Theologos die 1. & sic initio illius foundationis debuissent creari. Cur autem non possemus dicere, eam fundatam esse *expanso* facto, quod diei 2. adscribitur.

§. XIV. Videntur non male distingui in *bonos & malos*; *Boni* sunt, qui à Deo confirmati sunt, qui vocantur *Electi*, *1. Tim. V, 21.*

§. XV. Qui deficere non possunt, quia *semper* vident *faciem Dei*, *Matth. XVIII, 10.* Quo ipso non perdiderunt, sed conservarunt liberum arbitrium: His Deus utitur in Ministerium salutis *Electorum*.

§. XVI. Mali autem non possunt restitui, perpetuis caliginum ca-